



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Ivdiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Thermuthin aspidem ab Ægyptijs iudicioru[m] caussa cultam &
nutrita[m].

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

re, ante ciuitates, in iustitiæ monumentum: fuisse autem & Christi crucem ex iustitia diuina decretam, cum ita exoluerit, quod nos deliqueramus. Postea, ut hospitem suum inescaret, ex Æliano, quod sequitur, legit, & disputatione, quam nos, hoc volumine deducimus, exposuit.

II.
Ælian. l. 10.
de animal.
cap. 31.

Aspidis genus unum Thermuthin Ægyptij nominant. Hanc sacram esse aiunt, & summa religione colunt. Itaque ea Isidis simulachra, tanquam regio quodam diademate, coronant. Eandem in perniciem hominum natam esse negant. Enimvero comminiscuntur, eam se à probis abstinere: contra vero impys necem asferre. Quod si ita est, Iustitiam Vniuersi dixeris hanc feram honorare, ut que acrimonia intellectus bonum à malo discernat, & tanquam illius ministra ac vindex in malos animaduertat. Addunt alij, Isidem sceleratissimis hominum eam immittere. Hanc quoque, solam in hoc genere immortalem esse Ægyptij referunt, qui aspidum genus in sedecim species diuidunt. In sacris igitur edibus ad unumquemque, angulum subterranea sacella exedificant, ubi sanè Thermutidi habitanti bubulum adipem edendū, interuallis quibusdam, obijciunt.

III.
Actor. 28. 3.

Eiusdem propemodum sententiæ fuisse Melitensis insulæ Barbaros incolas, indicat D. Lucas. Nam ibi, cum congregasset Paulus aliquantam sarmentorum multitudinem, & imposuisset super ignem, vipera à calore cum processisset, inuasit manum eius. Vt verò viderunt Barbari pendentem bestiam de manu eius, ad inuicem dicebant: Vtique homicida est homo hic, qui, cum euaserit de mari, ultio non sinit eum viuere.

IV.
Virg. lib. 3.
Æn.

Hoc Barbarorum, uti & Ægyptiorum iudicium planè erat barbarum, rude, atque à rectâ ratione alienum. Nullum enim, inter probos improbòsque, bestię suâ naturâ ingenioŭe nouerunt discrimen. Quod si illæ, aut quæcunque alia Pests & ira Deum Stygijs sese extulit undis, aliquando, ad hominum scelera vindicanda, à Deo immittuntur, non tanquam suppedanei quidam iudices, qui causam cognoscant, sed, velut supremi Numinis ac iustitiæ ministri, aguntur potiùs, quàm agunt, famulantur, & tanquã instrumenta duntaxat punientis Dei adhibentur: ut videre fuit, in ignitis serpentibus, qui, ut dentem dente plecterent, murmuratores, in deserto, momorderunt.

NUM. 21. 6.

V.

Imò & hoc genus animantum, & quadrupedes belluæ, & volatici dracones, & furentes Harpyiæ, non rarò etiam inuadunt

inno.